

nova responsione non indigent. Satis est ergo pauca haec subnectere. Ac primo gratis asseritur, quod Episcopus auxiliaris, cum canonicatum obtineat non tertia Capituli dignitas ratione primiceriati, sed prima ratione episcopatus haberi debet. Habeatur quidem, si placet, *pro prima* seu potius praecipua dignitate Capituli ratione characteris et dignitatis episcopalis. Sed haec dignitas est mere accidentalis in Capitulo et in obsequium characteris debetur ei praecedentia quae jura ceterorum non pervadat. Praeter hoc non aliud ei competit et vere in Capitulo habendus pro tertia dignitate prout erat: neque enim accedente in aliquo Canonico episcopali dignitate, gradum vel ordinem in canonicatu transgreditur, neque caeteri ipsi postponuntur, sed ratione jurium singularis capitularibus competentium, unusquisque remanet in gradu suo.

Aliud deinde argumentum conficiunt ex quo deducunt, constitutiones ideo praescripsisse ordinem illum successione ad divina officia peragenda absente vel impedito Archiepiscopo, ut solemniora festa ex dignitatibus sacra peragentibus splendorem longe majorem attingerent; et ad splendidiorem divinae Majestatis cultum assequendum neminem parem Episcopo auxiliari, qui de licentia et consensu Archiepiscopi divina quaelibet officia juxta Caeremoniale Episcoporum obire potest. Missam facimus ambiguitatem terminorum et levitatem argumenti. Confunditur enim quod congruenter praeferi posset cum eo quod stricte de jure inquirimus et ad finem assequendum interponitur dignitas, quae ad illum actum ordinata non est et non caveatur num proculcentur jura, decreta et statuta, neque si quod verum est postponatur, dummodo sustineatur, quod suum est. Atque per idem argumentandi vitium illegitime deducitur

„auxiliarem Episcopum illis dignitatibus posthabere idem esse ac ejusdem supra omnes praeeminentiam in dubium vocare contra mentem Concilii Tridentini declarantis sess. XXIV. cap. XII.: Dignitates in Ecclesiis praesertim ad conservandum augendumque ecclesiasticam disciplinam fuisse institutas, ut qui eas obtinent pietate praevalerent aliisque exemplo essent. Quid haec ad nostram controversiam? Sed de his satis.

Haec omnia quae hucusque disputavimus profecto videntur Episcopo Famaugustano auxiliari Archiepiscopi Mediolanensis atque ejusdem metropolitanae primicerio, ratione Episcopatus, licet non sit prima dignitas, sed aut secunda aut tertia, competere quidem omnem praecedentiam in omnibus actibus seu functionibus capitularibus et ubique, nempe tam in choro quam in processionibus et Capitulis supra omnes Canonicos et Dignitates sed praecedentia tantum honoris et obsequii in assistendo singulis iisdem functionibus, ita ut primum stallum in choro et ubique primum locum occupare debeat, primam antiphonam primamque thurificationem, pari tamen thuribuli ductu cum ceteris dignitatibus et canonicis accipere. Eam tamen praecedentiam non extendi ad praelationem in qualemcumque actum jurisdictionalem neque ad jus praeeminentiae cantandi missas ritu pontificali aliasque sacras functiones peragendi, quas in solemnioribus festis Archiepiscopo impedito contra jus commune, contra speciales constitutiones metropolitanae Ecclesiae Mediolanensis et in praeventum aliarum dignitatum, quae ipsum in ordine canonicali praecedunt, sed ad primam dignitatem eaque impedita ad secundam omnino spectare. Haec praecedentia ipsi non competit, neque quia est Episcopus auxiliaris, neque quia est canonicus

primicerius, neque demum inspectis in eadem ipsius persona omnibus illis qualitatibus simul conjunctis. Pluribus siquidem adductis rationibus et exemplis, necnon rejectis oppositorum argumentis ostendimus qualitatem Episcopi titularis, quae accidentaliter in Canonico conjuncta reperitur, esse omnino extraneam Capitulo et solum mereri praecedentiam externam honoris quam diximus in obsequium episcopalis dignitatis, nihil vero importari auctoritatis et privilegii, ex ipsa qualitate Episcopi auxiliaris, quae pariter Capitulo est prorsus extranea et mere accidentalis, et hoc confestim tam ex intrinsecis Capitulorum juribus quam ex intrinseca natura Episcopi auxiliaris. Sola igitur qualitas Canonici ea est, quae determinat ipsius jura praecedentiae in actibus jurisdictionalibus, seclusa omnino qualitate Episcopi tum titularis tum auxiliaris. Neque juvat utramque hanc qualitatem inspicere cum qualitate Canonici conjunctam, ut contra redactores voti probavimus. Haec quippe se junctim prorsus considerata sunt, cum duo qualitates Episcopi titularis et Episcopi auxiliaris, quas accidentales omnino et extraneas a Capitulo et a juribus capitularibus esse ostendimus, sunt in Canonico relate ad Capitulum et inspectis juribus capitularibus, tamquam non sint. Et sicut Archiepiscopus libere et independenter a Capitulo posset deputare auxiliarem suum licet non Canonicum ad supplendas functiones illas, quae necessario requirunt episcopalem characterem, minime vero ad alias functiones quae a Capitulo suppleri possunt, ut vidimus mox in Lubecen. 10. Junii 1636, ita si auxiliaris per accidens sit Canonicus non potest ipsum, qua auxiliarem, libere deputare ad alias functiones vice sua supplendas, quae a Capitulo, in vim juris communis et particularium

constitutionum suppleri possunt et debent, quia in iis quae potestatem ordinis non requirunt, auxiliaris in Capitulo non est auxiliaris sed simpliciter Canonicus. Qua Canonicus vero et secunda aut tertia dignitas non succedit Episcopo impedito, nisi prima et respective secunda dignitas, quae immediate succederet, impedita pariter essent vel sponte cederent.

Ex quibus subsequitur in ea nos esse sententia, ut primo dubio respondendum sit: *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Antequam vero disputationem hanc penitus deseramus, monendum ducimus, omnia, quae hucusque scripsimus, ex principiis juris deducta esse et hanc vere esse mentem S. hujus Congregationis, quam eadem semper tenuit et decrevit in omnibus causis praeminentiarum. Verum, jure suo unicuique reddito, fateamur quoque improbandum non esse consilium Vicarii generalis, qui, antequam sententiam suam proponeret, licet nobiscum sentiat primicerium episcopali dignitate insignitum sive qua Episcopum auxiliarem sive qua dignitatem simul et auxiliarem hanc praelationem succedendi Archiepiscopo impedito in celebratione pontificalium *sui Episcopi auxiliaris juribus tribuere non posse*, scite tamen prudenterque ita se sentire praemisit nempe: „Absente vel nolente Archiepiscopo diebus festis solemnioribus episcopalia officia celebrare in metropolitana Ecclesia vel alibi, ubi metropolitanum Capitulum convenit, valde quidem congruum esse, ut prima Capituli dignitas et Capitulum universum auxiliarem Episcopum rogent (etiam semel pro semper), quod ipse eadem pontificalia celebret ad festi splendorem augendum.“ Idque eo libentius notamus, quod ipse Archipresbyter idipsum sentiat, utrumque spondeat se permissurum, dum ait: „Ego ipse

congrue solemnioribus festis Episcopum auxiliarem sacra peragere censeo, ego ipse juri meo, quoad me, de facto cederem: attamen aliud est de congruentia, aliud de jure decernere: quid sit de jure sentiendum hoc ipso definiendum expostulo. In eo tamen satis non conveniremus, quod Vicarius generalis intra parenthesis includit, rogandum nempe Episcopum auxiliarem (*etiam semel pro semper*), tum quia nimia hac facilitate prioribus dignitatibus irrevocabile vulnus infligeretur et hinc saepius oriuntur abusus, tum quia Archipresbytero locus amplius non esset solemnissimas missas celebrandi ac sacras functiones peragendi. Archipresbyter enim per constitutiones capitulares cap. AIII.: „ab omni hebdomadarii munere liber est et immunis, ita ut is, ne sicut reliqui, missas, vespas et alia divina officia per hebdomadas canere non teneatur.“ Si ergo *semel pro semper* jus suum succedendi Archiepiscopo impedito cederet auxiliari, jam ipse viam sibi praeccluderet ad sacras functiones in posterum peragendas. Satius fortasse erit, si id quandoque fieret, praesertim in principalioribus anni festivitatibus. Neque enim cultus splendorque deerit missam celebrantibus sacrasque functiones peragentibus dignitatibus praeclarissimae metropolitanae Ecclesiae Mediolanensis, quibus, sicut etiam Canonice ex apostolicis literis incip. „in apostolicae sedis“ re. me. Clem. PP. IX. datis VI. Id. Junii. 1716, concessum indultumque est: „ut ipsi et horum singuli eorumque in quinque dignitatibus et vigintiquinque canonicatibus et praebendis praefatae Ecclesiae successores perpetuis futuris temporibus tam in civitate quam in dioecesi Mediolanen., etiam absente Archiepiscopo, in missis, vespas ac laudibus decantandis ac etiam in processionibus, benedictionibus candelarum, cinerum

palmarum, mitra aliisque indumentis et paramentis tantum ad instar abbatum usum mitrae habentium uti libere et licite possint.“

Sed haec dicta tantum sint, Emmi et Rmi Patres, ut videatis, an propositae responsioni, si vobis ea placeat, expediat addere clausulam hortatariam: „laudandum tamen esse si, diebus praesertim solemnioribus, canonicus Episcopus comiter invitetur.“

S. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Die 19. Septembris 1859.

(Anal. J. P. 1861 p. 1016 et 1049.)

#### 4) Consecrandus intra quod tempus?

*Ad dub.: An titularis Episcopus negligens consecrationem suscipere intra tempus a Concilio Tridentino sess. 23. c. 2. de reformation. praefinitum incurrat poenas ab eodem Concilio inflictas videlicet restitutionis omnium fructuum, si negligentia fuerit per tres menses a die Confirmationis, et privationis Episcopatus, si negligentia fuerit per alios tres menses, et sic per tres menses a Confirmatione.*

Negativa mihi arridet opinio. Ratio enim, cur Concil. Trident. ita obligavit Episcopos, fuit, ut occurreret spirituali damno, quod necessario subditis afferre debeat dilata ab Episcopo in longum tempus susceptio consecrationis. Van. Espen. Jur. ecclesiastic. part. 1. titul. 15. cap. 1. §. 13., Hal-lier. de sacr. Ordination. part. 3. section. 7. cap. 21. §. 2. num. 16. Haec autem Concilii Tridentini ratio locum sibi vindicare nequit quantum ad Episcopos titulares, utpote qui subditos habent habitu tantum, non item actu. Non est igitur quod Episcopus titularis negligens consecrationem teneri possit poenis Concilii Tridentini, ut punctim firmat Hiurstad. variar. resolution. n. 2.

tract. ultim. resolut. 12. §. 4. num. 726.

Accedit quod juxta Concilium Tridentinum ut locum habeat poena privationis Episcopatus debet praecedere poena restitutionis omnium fructuum. At quomodo quantum ad Episcopos titulares praecedere potest poena haec restitutionis omnium fructuum, si apprehendere si nequeunt possessionem suarum Ecclesiarum utpote ab infidelibus occupatarum? Hinc igitur magis atque magis confirmatum remanet, quod intelligere nequit Concilium Tridentinum de Episcopis titularibus, eo ipso quod circa ipsos servari nequit ordo ille poenarum ab ipso Concilio Tridentino stabilitus et religiosissime propterea servandus. Optime Rota in Vilnen. Ordin. s. Basilii Magni Ruthenorum 3. Aprilis 1761 §. 14. cor. bon. mem. Frangipane.

#### 5) Electio.

Episcopi titulares antiquitus non creabantur, sed tantum quia propriis Ecclesiis ob hostilitatem ejecti erant, in aliis Ecclesiis vacantibus Card. constituebantur, donec ad proprias Ecclesias reverti permitterentur, in cap. *Pastoralis* 7. quaest. 1., *Fagnan.* lib. 5. decr. cap. *Episcopalia* 1. de privilegiis et excessibus Privilegiator. num. 39. Modo tamen non jam, qui expulsi sunt, dantur Episcopi Ecclesiis vacantibus, sed creantur denuo Episcopi titulares illarum Ecclesiarum, tum ob alias causas, tum ad hoc ut suffragentur aliis Episcopis. *Fagnan. loc. cit. u. 41.* Horum Episcoporum titularium, qui creantur Episcopi alicujus Ecclesiae in partibus infidelium sitae, quae neque populum christianum, neque clericum habet, nulla origo reperitur ante decretum Concilii Lateranensis sub Leone X. seqq. 9. de Cardinalibus, ubi permisit creari Epis-

copos titulares, quibus pro suffraganeis possent uti Card. Episcopi in suis Ecclesiis, sicuti modo utuntur ipsis etiam variis alii Episcopi non Cardinales et ideo etiam hodie Summus Pontifex cum creat hujusmodi Episcopos titulares, utitur similibus verbis: Et suffragentur talibus donec etc. *Fagnan. loc. cit. n. 41. et 44.* Episcopi titulares sunt veri Episcopi characterem habentes episcopalem; cap.: *Pastoralis* 8. quaest. 1. et ibi Archid. sub n. 4. et Praepositus in 1. notabil. et alii communiter.

Vd.: *Titul. Episc. (Canon.)*

*Ne vagi titularesque tantum Episcopi absque evidenti necessitate creentur, vetitum esse ex canonica et maxime ex Tridentini sanctione, significat Clem. XIII. Poloniae Regi Illustri, neque proinde illius votis obsecundare potuisse de tribus titularibus in Poloniae Regno creandis, sed tantum adjutorem Primaliensi Episcopo concedere paratum esse.*

Carissimo in Christo Filio Nostro  
Augusto Poloniae Regi Illustri.

*Clemens PP. XIII.*

Carissime in Christo Fili Noster.  
Salutem et Apostolicam Benedictionem.

§. 1. Etsi Majestatem tuam ex pluribus cognovisse minime dubitamus, quam facilis ac propensa fuerit hactenus paterna charitas Nostra ad tibi, quoad Sedis Apostolicae dignitas ac ratio sinit, gratificandum; nihilosecius quae postulatur non omnia semper a Nostro pendent arbitrio, sed prius attente, secundum canonicas regulas, expendenda sunt atque libranda. Cum igitur apud Venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales Congregationis consistorialis facta petitio de tribus Episcopis titularibus per istud nobilissimum regnum noviter creandis

de more perpenderetur, judicaverunt ii, gratiae huic non esse locum, ob-sistentibus partim, quae in Tridentino Concilio de vagis Episcopis enunciatur, partim eorum numero, qui isthic jam extant, justoque metu ne ad haec in alias quoque regiones similia inducantur exempla. Quae cum Nobis relata fuissent Venerabilium Fratrum Nostrorum sensus atque consilia non potuimus reprobare.

§. 2. Verumtamen considerantes insignia Majestatis tuae merita in catholicam religionem ac sincera benemerendi tui voluntate permoti, istius iudicii rigorem aliquantisper sic mitigandum esse censuimus, ut quod omnibus regali commendatione tua munitis concedi non poterat, uni saltem tribueremus; quocirca adlegimus dilectum filium sacerdotem Ignatium Kreyeanous Kium Canonicum Prismiliensem, quem opportunum atque utilem dioecesi illi iuvandae arbitramur, cum ob gravem aetatem Venerabilis Fratris Michaelis Episcopi Prismiliensis tunc vero etiam quod is Vicecancellarii istius regni munere distentus a grege distrahatur; eaque propter Ven. Fratris Archiepiscopo Ephesino Nostro et Apostolicae Sedis Nuncio mandavimus, ut consueta de ejus meritis ac virtutibus inquisitionibus acta conficeret. Gratam igitur habeat, petimus, hanc apostolicae benignitatis indulgentiam sibi persuadeat Majestas tua Nos haec eo animo significasse, ut novum hac in re acciperes argumentum illius intimae ac vere paternae, qua te in Domino complectimur, charitatis, apostolicam benedictionem Nostram Majestati tuae ac universae regiae scholi amantissime impertientes. Datum Romae etc. die 5. Augusti 1761.

(Bull. r. Contin. t. II. p. 194. Ed. Romae.)

*Quantum a Tridentini Concilii sanctionibus adverteretur, Episcopos titulares constituere absque Clero, absque Populo et absque sede significat Principi Montis Maurentiaci talem Episcopatum postulanti pro religioso viro meritis aliunde praeclaro.*

Dilecto Filio Nobili Viro Principi Montis Maurentiaci.  
Clemens PP. XIII.

Dilecte Fili Nobilis Vir, salutem et apostolicam Benedictionem.

§. 1. Non est incognita Nobis, neque praenobilis familiae tuae conditio, neque tua in hanc apostolicam Sedem fides et observantia eaque propter dari Nobis occasiones vehementer optaremus desideriis tuis gratificandi: sed pro ea, qua polles, prudentia, intelligere te minime dubitamus, non omnia, quae a Romano Pontifice postulantur, ex arbitrio solius voluntatis pendere, verum ad sacrorum canonum normam quamplura diligenter sunt expendenda et si igitur literis tuis plenam adhibuerimus fidem plurimumque laetati simus in Domino, quod dilectus filius Chrysostomus Ordinis Carmelitici Excalceatorum sedulam catholicae religionis cultui navet operam in Amstelodamensi sacello Gallicae Legationis et in verbi Dei praedicatione potissimum excellat, non idcirco tamen titulo Episcopi, ut vocant in partibus Infidelium, potest insigniri.

§. 2. Quam odiosi sint Tridentino Concilio ejusmodi Antistites neque Clerum neque Populum neque sedem permanentem habentes, satis compertum atque idcirco non sine gravi necessitate vel evidenti Ecclesiae utilitate creandi, maxime vero nisi prius honore patrimonio dotati fuerint ad vitam ac dignitatem sine dedecore sustinendam; quae cum deficient in praesenti rerum circumstantia, summopere dolemus, non posse Nos, uti vo-

luntas esset, petitionibus tuis annuere; haec eadem significabimus Venerabili Fratris Nostro Enrico Cardinali Episcopo Tusculano, Duci Eboracensi, si cum hac de re Nobiscum sermonem instituere contigerit. Caeterum jubeas volumus dictum Chrysostomum tranquillo esse animo, ad Nos enim quod spectat, sedulo cavebimus, ne quid hac de re ad ejus regulares Praelatos emanet, atque interea paternae benevolentiae Nostrae pignus accipito in apostolica benedictione quam tibi, dilecte fili nobilis vir, peramanter largimur. Datum etc. die 12. Septembris 1761.

(Ibid. p. 203.)

#### 6) Habitus.

Vd.: *Episcop. titul.*; *Regul. Episcop.* (habitus).

Episcopus titularis canonicatum obtinens in Ecclesia Cathedrali potest et debet in ea uti habitu ordinario, quo utuntur Episcopi in romana curia, id est Rochetto supra subtanam et Mantelletto violacei coloris. S. Congreg. Rit. in Compostellana 11. Junii 1617. Et debet praecedere omnibus aliis Canonicis et Dignitatibus tam quoad stallum quam quoad functiones cantandi Missas et omnia alia. S. Congr. Rit. in Ragusina 22. Junii 1594 in d. Compostellana 11. Julii 1617 et in Calaguritana 13. Novembris 1621. Episcopus titularis, qui est Canonicus, subest visitationi Ordinarii ad instar aliorum Canonicorum et tenetur ad observantiam legis dioecesanae, aliter subijcitur poenae etiam excommunicationis in ea contentae. S. Congreg. Episcop. 24. Julii 1632 apud *Card. Petram* tom. 1. comment. in constit. 2. Leonis IX. sect. 5. n. 94.

#### 7) Jurisdictio.

Vd.: *Titul. Ep.* (Pontif., ordinat. exercens).  
Episcopus titul. jurisdictionem exer-

cere potest in subditos Ecclesiae sibi assignatae, si ad christ. religionem convertantur.

Constit. Bened. XIV.: *Cum a Nobis*.

#### 8) Ordinat ones etc. exercens.

Vd.: *Titul. Episc.* (Pontificalia etc.)

Episcopi titul. valide sed illicite ordines conferunt sine licentia Ordinarii, in cujus dioecesi degunt.

Constit. Bened. XIV.: *Cum a Nobis*.

#### 9) Origo.

Vd. t. III. p. 1. p. 697. n. 22. etc.

#### 10) Pallium.

Pallii honore non decorantur latini Patriarchae titulares, quemadmodum nec Archiepiscopi in partibus, cum enim pallio nemo uti possit extra provinciam suam, illi profecto alibi comorantur.

Bened. XIV. de Synodo dioecesis. 1. 13. c. 5. §. 17.

#### 11) Pontificalia exercens.

Vd.: *Pontificalia*; *Titul. Ep. Canon.* (Pontificalia etc.)

Pontificalia exercere non potest Episcopus titularis, nisi in illa dioecesi, cui datus est suffraganeus, ut statuit s. Pius V. in decreto suo consistoriali, teste Fagnan. l. V. decr. c. Episcopalia 1. de privil. et excess. Privileg. num. 50. Neque in locis exemptis, nisi de licentia Episcopi loci, intra cujus fines locus hujusmodi exemptus fuerit constitutus: Concil. Trident. sess. 14. c. 4. de reformat. et sic expresse decusum fuisse a S. Congr. Concil. refert *Aldan.* in compendio Canon. resolut. lib. primo titul. 4. n. 3.

Neque potest Episcopus titularis in Ecclesia sua jurisdictionali veluti si esset Praepositus Chryisma conferre nec